

SECTIO PRIMA.

Collatio Versionum.

LXX. Καὶ νῦν εἰ μὲν ἀφίνεις αὐτοῖς τὸν ἀμαρτίαν αὐτῶν, ἀφες, εἴδε μή, ἐξάλεψόν με ὅπερ τῆς βίβλου σαρκὸς ἔγειρας.

ΟΝΚΕΛΟΣ: רְקִעֵן אַסְמָשְׁבָק לְחוֹבֵיהָן וְאַס־לְאַז מְתִיחִנִּי בְּעַן מְסֻפֶּרֶת: דַּי כְּתַבְתָּהָנָה:

i.e. Et nunc si dimittas peccata eorum: si autem non, dele me nunc de libro tuo, quem scripsisti.

JO N A T H . Nunc autem, si remittes peccata eorum, remitte: si minus, dele me de libro iustorum, in medio cuius scripsisti nomen meum.

V U L G . Aut dimitte eis hanc noxiam, aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.

P A G N . Et nunc si remittis (Ar. auferes) peccatum eorum; & si non, dele me nunc de libro tuo, quem scripsisti.

L U T H . Nun vergieb ihnen ihre Sünde/ wo nicht/ so tilge mich aus deinem Buch/ das du geschrieben hast.

V A T A B . - Expunge me quæso de libro tuo.

SECTIO SECUNDA.

Annotationes Philologicæ.

§. I. Aut dimitte] Ebr. חֲטָאתֶם נָאַם רְשָׁא Si remittas peccatum eorum, Oratio defectiva, Supplendum, bene est, aut aliquid tale. a) Vel; quid sentient de te gentes? quibus laudibus efferent misericordiam tuam? b) Alii vertunt interrogativè: an condonaturus es? c) De Phrasí auferre peccata vide infra ad Esa. LIII, ii.

§. II. E libro tuo] Liber Dei ἀνθεωποναθῷς dicitur. Adscribitur autem Deo triplex cum primis liber. 1. Liber providentiae, qui est notitia, quam Deus ab aeterno habuit de personarum omnium rerumq; qualitate, sorte & eventibus in hoc mundo Ps. LVI, 9. CXXXIX, 16. atq; speciatim de rebus venturis Ecclesiæ Ezech. II, 9. & III, 1, 2, 3. Apoc. V, 2. X, 2. 2. Liber judicii universalis, qui est notitia, quam Deus habet de factis omnium & singulorum hominum tūm bonis, tūm malis, ut secundum ea in die novissimo judicentur Dan. VII, 10. Mal. III, 16. Apoc. XX, 12. 3. Liber vitae Apoc. XX, 12. & XXII, 19. qui & Liber vitae agni dicitur Apoc. XIII, 8. & XXI, 27. & est notitia, quā Deus

a) Riv. b) Vatabl. c) Junii & Tremell.